

non modo amplior ac certior illius notitia mundo inferretur; verum etiam ut tota doctrinae christianae extensio et certitudo futuris quoque temporibus integerrime conservaretur. *

* Erronea Kantii aliorumque sententia est, qui in religione christiana partem naturalem ab historica distinguentes, illam quidem retinendam, hanc vero paulatim amovendam esse opinantur.

XXXIX. Quoniam vero mutationi fere omnia obnoxia sunt; de mediis sollicitus esse Jesus Nazareus debuit, quibus tum religio ab ipso fundata pure inter homines conservari, atque de isthac conservatione notitia ab omni errore libera haberi queat.

XL. Duo autem eligi potuerunt criteria hisce consiliis opportuna, *ratio* videlicet et *auctoritas*.

XLI. De testium et testimoniorum dignitate, deque logica dogmatum possibilitate ferre sententiam, ad rationem pertinet: quid autem Jesus docuerit, fecerit ac praeceperit, sua virtute discernere humanum ingenium non potest. *

* Nul-